



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnaburgensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes
Coloniae Agrippinae, 1657

Decretvm IX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

genua flecti possint, neque usque eò extent, ut supplicationibus & processionibus viam præcludant.

DECRETVM VII.

Quæ Processiones ut in cœmeteriis etiam commode fieri possint; volumus, ut circa illa fiat via æqualis, & tam lata ut trium personarum simul sit capax; ipsa vero cœmeteria sic undique sint munita, ne bestiis detur incurfus, in iisque locus sit aptus, ubi defunctorum ossa reponantur, ipsa verò sepulchra Crucis imagine conspicua appareant. De domibus vero, illic ædificatis, seruentur accurate, quæ in Nostra Synodo majore ordinavimus & statuimus; si vero aliquæ, hac belli tempestate, ædificatæ fuerint, de iis quotannis, festo S. Michaëlis, solvant Canonem, quem statuent Decanus & Pastor cuiusque Parochiæ.

Parte 2.
cap. 15.
§. 7.

DECRETVM VIII.

Invenimus in variis Ecclesiis altaria non pauca violata, alia verò nullo cultu ornata, & superflua. Mandamus proinde, ut in Parochialibus Ecclesiis, in quibus non est fundatio altarium, & plurium Beneficiorum præsentia, præter summum & duo lateralium altaria, omnia alia tollantur; atque, ut tempore sequenti altaria violata consecrari possint, curent in locis celebrioribus ex solido & vivo lapide mensam Altaris; in aliis vero minus celebribus pagis petant à Nobis portatile majus consecratum, illudque mensæ altaris inferi faciant, & calce eidem conglutinari curent.

DECRETVM IX.

Cum, Decretis Congregationis Sacrorum Rituum, severe prohibitum sit, ne quis rochetto seu superpelliceo cum strictioribus manicis utatur, nisi cui id de jure aut favore Sedis Apostolicæ permillum; interea vero, non tantum Pastores aliquos, sed ipsos etiam ædituos & ludimagistros, eisdem uti, animadvertimus; mandamus, ut omnes & singuli, ejusmodi rochetta seu superpellicea deponant; & omnes, in functionibus Ecclesiasticis, utantur tantum togâ talari, pileo quadrato, stolâ, & superpelliceo cum laxioribus manicis, ad formam Romanam confecto.

DECRETVM X.

Atque, ut non cærimoniarum tantum, sed doctrinæ etiam unitas in omnibus appareat; volumus, ut omnes observent eundem modum concionandi & catechizandi, quem in Nostrâ Agendâ præscribemus. Et, ut rudis populus discat fidei principia, ante concionem clara voce orabunt singuli Pastores Ger-

manice Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam; post concionem vero, præter priora hæc, Symbolum fidei, Præcepta Dei & Ecclesiæ, & veneranda novæ legis Sacramenta, pronuntiabunt, & pro omni statu, maxime vero Christianis Principibus, consuetam orationem, & publicam confessionem, recitabunt. Si quæ vero proclamanda, hæc non ante sed post concionem, ut ab omnibus audiri & percipi possint, promulgentur.

DECRETVM XI.

Ne suis defunctis honor debitus & justa funebria negligantur, sanctæque & salubris pro defunctis exorandi cogitatio & consuetudo pereat; iterum mandamus, ut in posterum adulatorum Catholicorum funera, (quantum fieri potest) matutino tempore ad templa deferantur, &, peracto sacrificio, terræ mandentur; populusque de Anniversariis & memoriis moneatur.

DECRETVM XII.

Cum ipsa veneranda novæ legis Sacramentapignora sint salutis, & fontes divinarum gratiarum; ea, maxima sollicitudine, suscipere, & non minore curâ administrare oportet. Eorum verò fons & ad reliqua, janua cum sit Baptismus; volumus, ut maxima attentione, & necessaria intentione, administraretur. Cum vero non rarò infantes ad Baptismum deferantur, scabie capitis laborantes; ne totum fontem baptismalem, ex scabioso capite defluens aqua, forsân inficiat, semper hæc pelvi excipiatur, & effundatur in piscinam sacram (ut vocant,) proxime Baptisterium construendam.

DECRETVM XIII.

Nunquam vero solemniter Baptismus extra Ecclesiam conferatur. In necessitate vero à Pastoribus baptizati, deferantur postmodum ad Ecclesiam, si supervivant; & cærimoniarum suppleantur; serueturque in nominibus, ut ea sint Sanctorum; & quæ de Patris Synodo majori præcepta sunt.

Parte 1.
cap. 13.

DECRETVM XIV.

Accurate observent Pastores singuli, quæ circa Baptismum, ab obstetricibus aliisve collatum, Synodo majore monuimus & ordinavimus; diligentem vero curam adhibeant obstetricum, ut eæ bene doceantur modum & intentionem, ad Baptismum requisitam. eumque in finem, quantum fieri potest, in singulis, non tantum Parochiis, sed etiam Pagis sive Burschopiis, certæ sint constitutæ, boni nominis, catholicæ, & juramento, coram Pastore edito, ad fidelitatem obstrictæ; & juramentum Catholicæ fidei emittant.

Ibid. §. 5.
& seq.

D E